

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae

Goclenius, Rudolph

Marpurgi Cattorum, 1601

C. An omnia peccata sint aequalia? Seu, an fit peccatorum gradus?

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109121)

est. Hunc ars interdum non consequitur, etsi semper pro viribus nitatur eum consequi. Alii artis finem à fine artificis distinguunt: ut medicæ quidem artis finis sit, nihil omittere eorum, quæ ad sanationem faciunt: Medici verò sanare: quo fine non raro excidit. Alii respondent: in Topicis Aristotelem loqui philosophicè & *κατ' ἀφ' ἡσθεῖαν*. Hic verò populariter, seu *κατὰ δόξαν*, id est, ex opinione vulgi.

C.

An omnia peccata sint aqualia? Seu, an sit peccatorum gradus?

Negatur.

Exordium. Quemadmodum apiculæ non tantùm colligunt amœnos & fragrantissimos flosculos, sed etiam mellificio student, idq; exercent, hoc est, succum florum in mel dalcissimum convertunt: Sic Scholasticos oportet non tantùm accipere aliena dictata, præceptaq; artium addiscere, ac memoriæ mandare, sed etiam conati aliquid ex se gignere, & ab aliis tradita, lecta, auditaq; in suum succum convertere. Id quod fit quotidianis dicendi, scribēdi & disputandi exercitiis. Manus scilicet, agebat Anaxagoras, crebrisq; hoc sermonibus Melanchthon usurpabat, est causa Sapientiæ, id est, optimus Magister est usus & exercitatio. Et alius, nescio quis: Tantum scimus,

scimus, quantum operari possumus.

Nec qui multa legis, sed qui scit idonea vite,

Hic, dicit Sapiens, cur mereatur, habet.

Si quid scis, neq; oratione perspicua atque diserta explicare potes, id ipsum quod scis, nescite videris: de Periculis sententia. Hæc cum ita sint, declamationum de rebus cognitu utilis exercitia in Schola nostra vigere, iisq; discentes ad *αεὶ εἶν* præparari debent. Ad quas, ut multi excitentur, præceptores melius tractatione alicujus utilis argumenti præire volunt. *Propos.* In præsentia igitur agam, ut meæ facultatula rationes ferent, de quaestione: an delicta paria censenda sint: & quidem eam negatè concludam. *i. argumentum ex triplici peccatorū distinctione è causis.* Primùm enim Crimina quædam fiunt, præter voluntatem & consilium (*ἀκονσίως & ἀπειληδύτως*) temerè tantùm & fortuitò, nullo antegresso odio, vel ulla nocendi voluntate: Quædam certa destinataq; voluntate seu composito (*ἐκονσίως*) proindeq; ex maleficio penitus proficisci dicuntur: quò pertinent profecta ab odio per compositas insidias agente. Deniq; quædam sunt media inter voluntarium & involuntarium, ut quæ fiunt per iram, quam continuò sequitur pœnitentia. Hæc Platonis distinctio est, lib. 9. de legibus. Jam verò quis est τὰν ρυδῖς, qui nesciat voluntaria crimina esse graviora,

vlora, quàm errata fortuita? 2. *argumentum ab effectis imparibus.* Nam non omnibus peccatis unum supplicium constitutum est. Sacrilegii & parricidii crimina capitalia sunt. Mendacium capite non punitur: leuior est vis privata, quàm publica, & perduellionis crimen. Gravius est crimen verberare magistratum, quàm hominem privatum. Quòd fit, ut Plato iubeat personarum in æstimandis criminibus suppliciiq; sancientiis rationem haberi: veliq; in planè ἐνέστα & ἐκ συμβουλῆς profecta maleficia nullam excusationem cadere, sed in illa summo jure agendum & animadvertendum esse: Commissa verò per itam ex æquo & bono iudicem considerare & moderari debere. Quid? Quòd qui mulere liberum puerumve ad rem veneram vi subegit, non ab eo solùm, cui vis illata est, verùm etiã à patre, fratribus, filiis impunè occiditur. Plato 9. de leg. *Conclusio:* Uerigitur non æqualia omnibus eademq; supplicia delictis constituuntur: sic nec paria omnia delicta censentor.

C.I.

An publica munera mulieribus cum viris communia indiscriminatim esse debeant.

Negatur.

Exordium. Et si Platonem divinum Philosophum agnoscamus: non tamen possumus